

AD PAULINUM AQUILEIENSEM ADNOTATIUNCULAE

I

Carmen paschale quod a verbis *Hic est dies in quo Christi pretioso* incipit et a Carolo Strecker editum est, *PAC*, IV, p. 580 ss., Paulino Aquileiensi patriarchae, anno DCCCII mortuo, attribuire conati sumus in libro qui *La poésie latine rythmique du haut moyen âge* inscribitur (Stockholm 1953, p. 94 ss.). Cuius stropha 12 in codice Veronensi 90 quo solo traditur ita scripta est :

«Vita nostra resurrexit de sepulcro,
cum quam simul resurrexit omnis mundus.
Sub is actibus perculsa inimica
iam perisse sola modo mors regemat».

Atque editor quidem versu secundo *qua* pro *quam*, versu tertio *sub his ictibus* legit, cetera sine correctione relinquit. Sed nemo est quin videat Paulinum hoc loco hymnum paschalem sancti Ambrosii imitari cuius ultima stropha est (*AH*, L, p. 140) :

«Cum mors per omnes transeat,
omnes resurgant mortui,
consumpta mors ictu suo
perisse se solam gemat».

Quibus verbis consideratis apparet textum Paulini ita constituendum esse :

«Vita nostra resurrexit de sepulcro,
cum qua simul resurrexit omnis mundus.
Suis ictibus perculsa inimica
iam perisse solam modo mors se gemat».

II

Idem Strecker orationem Paulini *Pro aeris temperie* e codicibus Mo-
nacensi 2990 et Guelferbytano 91, *PAC*, VI, p. 223 ss., edidit ubi v. 5, 1 ss.
legimus :

«Illo dignare, quesumus, imperio
mandare ventis, imperare nubibus,
quo dudum nostra de parte cum carperes
in navi, somno dignatus es surgere
tunc exoratus tuis a discipulis».

Etiam hoc loco utile est fontem conferre qui, secundum Strecker qui se
hos versus non intellexisse confitetur, est Luc. 8, 24 : *Accedentes autem
suscitaverunt eum dicentes: Praeceptor, perimus. At ille surgens increpi-
tavit ventum et tempestatem aquae et cetera.* Sed hi quoque versus menti
Paulini observati sunt, *Sedul.*, III 56 s. :

«Ipse autem placidum carpebat pectore somnum,
maiestate vigil, quia non dormitat in aevum».

Textum igitur Paulini correctione levissima hoc modo emendare debemus :

«Illo dignare, quaesumus, imperio
mandare ventis, imperare nubibus,
quo dudum, nostra de parte cum carperes
in navi somnum, dignatus es surgere...»

Cum verbis quae sunt *nostra de parte carpere somnum* conferas, quaeso,
Sedul., IV, 275 ss. :

«Flebant germanae, flebat populatio praesens,
flebat et omnipotens, sed corpore, non deitate
exanimosque artus illa pro parte dolebat
qua moriturus erat...»

Quos versus Paulinus imitatus est etiam in rhythmo de Lazaro 20 s. :

«Flebant Martha seu Maria, cunctus flebat populus...
Lacrimatus est et ipse totus dulcis dominus.
Nostra tamen miseratus flevit de substantia
quam suscepit pietatis exigente viscere,
in quo deus erat verus flere numquam potuit».